



[Blank page with faint bleed-through from the reverse side]

17  
18  
2. 0  
3. 0  
4. 0  
5.  
6.  
17  
1.



2, 14.  
ad. §. 1576.

I. N. D. N. J. C.

THESES INAUGURALES

270  
1715/1.

DE

NEXU ORDINIS

EQUESTRIS IMMEDIATI

IN SUEVIA FRANCONIA

ET TERRA RHENENSI,

Erga

Cæsarem & Imperium.

Quas

Auctoritate & permissu

Magnifici Juris-Consultorum Ordinis

IN ILLUSTRISSIMA EBERHARDINA,

PRÆSIDE

DN. MICHAELE GRASSO, J.U.D.

Sereniss. Württembergiæ Ducis Consiliario, Pan-  
dectarum Professore Ordinario, Facultatis hujus

Decano,

Pro

Honoribus & Privilegiis Doctoralibus in utroque  
Jure consequendis

Die Februarii MDCCXV. horis consuetis

Publico Eruditorum examini submittit

WOLFFGANGUS PHILIPPUS NAGEL, Eßlingensis.

TVBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII.

21

ran-  
nari-  
que  
imul  
• pr  
ncio  
fue  
rbo-  
c re  
ediz  
tori  
i ju  
fin  
s fac  
s ad  
m  
Præsi  
ei Bar  
4. p  
3. leg  
p. 17  
rapit



IN NOMINE DOMINI AMEN  
HABITUS IN VESTIBULO

EX ORDINE  
HIERONIMUS

DE VITA REGUM  
C. I. DE REBUS  
C. II. DE REBUS

C. III. DE REBUS  
C. IV. DE REBUS

C. V. DE REBUS  
C. VI. DE REBUS

C. VII. DE REBUS  
C. VIII. DE REBUS

C. IX. DE REBUS  
C. X. DE REBUS

100

**H**

fu  
N  
Im  
E  
br  
th  
cu  
te  
&  
lab  
fa  
di  
ni





CUM DEO.

**D**E creveram quidem mecum  
 B. L. loco dissertationis Inau-  
 guralis, argumentum aliquod  
 tam in foro utilissimum, quam  
 summe necessarium, nimirum de nexu  
 Nobilitatis immediatæ cum Cæsare &  
 Imperio elaboratione quadam pleniori  
 Eruditorum Orbi sistere, sed temporis  
 brevitæ præclusus propositum mutare,  
 thesesque saltem quasdam ex illo rerum  
 cumulo eligere debui, quas Deo favente  
 & otium dante cum deductionibus  
 & explicationibus majori diligentia ac  
 labore penitius & plenius elimare, omis-  
 sa supplere, traditaque ubi opus ulterius  
 dilucidare animus est, quod ut æqui bo-  
 nique hac vice consulas, amice rogitō.

A 2

Th. I.



## Th. I.

**N**obiles immediati, utut Vafalli, æque ac Status Augustissimum solum pro Superiore immediato agnoscunt, licet neque in Corpore, neque qua singuli, ipsi homagium præstent, ut Civitates Imperiales.

## II.

Cæsaris & Imperii summis Judiciis & Dicasteriis non minus quam Status sunt subjecti, Foro Austregarum gaudent, nec tamen ad sustentationem Cæmeræ aliquid conferunt.

## III.

A Judiciis subalternis aulicis & provincialibus in Suevia & Franconia, æque ac Status, per privilegia exemptionis à potiori sibi prospexerunt ac Jurisdictione Directoriorum ab Augustissimo Cæsare

fare confirmata in prima instantia u-  
tuntur.

IV.

In matrimonialibus pro diversitate religionis, vel secundum Jus Canonicum, vel Jus Civile Romanum, forum sortiuntur, coram summo Pontifice vel Episcopo Diocesanos aut Augustissimo Cæsare, quem & in rebus Criminalibus pro Judice agnoscunt: id quod dubium sane nullum habet, quando in suis deliquerunt territoriis.

V.

Immedietate Originaria in terris Imperii immediatis tanquam Ministeriales Cæsaris & Imperii gavis adhucdum florantibus Ducibus Sueviæ & Franconiæ, quibustamen extinctis majorem libertatem & ex accessione Ministerialium Ducum majorem numerum adepti sunt.

A 3

VI. Con-

alli,  
um  
dia-  
e in  
ma-  
les.  
  
iciis  
atus  
gau-  
Ca-  
  
pro-  
eque  
nis à  
ctio-  
Cæ-  
lare



## VI.

Constitutionibus & Recessibus Imperii, quoad favorabilia, etiam in summa appellabili ad summa Imperii Judicia per Recessum Imp. de anno 1654. determinata, æq; ac status utuntur, utut collectis Imperii & Circulorum non æque subiecti, sed soli Augustissimo in bellis Imperii, contra Turcam, & alios Imperii hostes, separatim assistant.

## VII.

Omnibus Juribus & privilegiis pacis religiosæ & Instrumenti pacis Westph. puncto religionis & in rebus causisque Ecclesiasticis pro diversitate religionis non minus ac status gaudent, hinc & in pacis tractatibus & Capitulationibus illorum Juribus prospicitur, sicuti juribus Statuum.

## II X.

In bonis vel allodialibus vel feudali-  
bus



bus optimo Jure sibi vindicant Territorialia Jura, ut Status, licet iisdem dignitatem regalem denegent, & ex hoc capite ipsis per Cæsareum diploma Jus habendi Zunftas & instituendi collegia Opificum non attentis aliorum contradictionibus aut oppositionibus confirmatum est.

## IX.

Ex prædiis militaribus per distributionem Cæsaream acquisitis durante interregno Fridericiano & reliquis turbulentis Imperii temporibus magnam partem aliis Potentioribus in feudum obtulerunt, uti & à Comitibus & Principibus minoribus factitatum.

## X.

Bona allodialia vel onere fideicommissi expressi vel taciti, ob tot antecedentes renunciaciones & reservaciones bis auff einen ledigen Anfall in effectu affe-

affecta sunt non minus ac plurimum statu-  
tum Imperii.

### XI.

Jure condendi statuta, & Jura municipalia localia non minus, quam Jurisdictione Civili & Criminali æque ac status in territorio suo gaudent, ut tamen ratione Banni sanguinis, **Blut-Banns** speciali concessione Cæsarea vel investitura utantur, ratione cujus, vi privilegii, singulare est, ut ad quoscunque hæredes etiam extraneos transeat.

### XII.

Regalium, majorum & minorum, sicuti Comites & Civitates Imperiales sunt participes, licet dignitatis regalibus expertes, idem dicendum de Juribus Fisci & Archivi.

XIII. Jus

## XIII.

Jus venandi & Jurisdictio foresti cum Jure piscandi & aucupii ipsis etiam competit, & quidem vel Jure Territorii, vel concessione Cæsaris aut Principis expressa vel tacita, aut consuetudine immemoriali, in primis venatione minore indistincte gaudent.

## XIV.

A Vectigalibus tam de fructibus, redditibus, aliisque rebus ad proprium usum & ædificia construenda & reparanda necessariis, de Jure communi per privilegia Cæsarea confirmata, sunt immunes; de cætero autem Jure accisæ, gabellæ, contractuum, vectigalis fluvialis, ripatici vel pedagii, vectorii, vel pontivegii Item pro Nuptiis, manumissione gaudent æque ac Comites

B

Impe-

Imperii vel concessione Cæsarea, aut præscriptione, vel Jure territorii aut regalium.

## XV.

Jure retractus per triennium contra Extraneos Emptores secundum Statuta Equestria per privilegia Cæsarea confirmata & extensa, merito utuntur, utpote quod Status etiam contra illos exercent passim fere.

## XVI.

Confraternitates & pacta hæreditaria inter Nobiles immediatos non minus ac inter Status Imperii valent, ac ad conservandas familias Equestris, Primogenituræ, Majoratus & Senioratus, quam maxime conducunt, ut tamen Fratribus secundogenitis, sicuti Sororibus de alimentis nobili sustentatione &

& dotibus congruis decenter prospiciatur.

### XVII.

Inter Nobiles immediatos æque ac inter Comites Imperii feminæ Sorores ab æquali successione cum Fratribus in bonis avitis & paternis, item fraternis, mediante renunciatione, Juratâ regulariter, utique non nisi erga dotem congruam cum annexis, excluduntur, Fratribus autem extinctis, una cum eorum masculis descendantibus ad renunciata iterum collatis conferendis admittuntur.

### XVIII.

Nobiles immediati libertate exteris Regibus & populis in bello serviendi fruuntur, & hunc in finem Milites conscribere solent. Bellum defensi-

B 2

vum

vum gerunt , Jus ſequelæ contra ſubdi-  
tos exercent, & quæ ſunt ſimilia.

## XIX.

Jure legationis gaudent & Jus fœ-  
deris inter ſe, & cum aliis libere exer-  
cent.

## XX.

Fœdere Clientelari, vel Jure Pro-  
tectionis non minus ac Status contra  
oppreſſionem aliorum uti poſſunt, hinc  
& antiquitus allodia Equeſtria vel in  
totum vel in tantum Potentioribus ſal-  
va tamen immedietate in feudum ob-  
tulerunt.

## XXI.

Ganerbinatu antiquitus tam in feu-  
dalibus quam allodialibus ad mutuam  
deſenſionem contra hoſtes, & extra-  
neos variis Legibus & pactis puncto  
cuſto;

custodiæ, Successionis, alienationis, inter sese utuntur. De cætero Tutores & Cūratores ipsis Imperator vel per Consilium Aulicum vel Cameram Imperialem aut ipsum Directorium vi specialis privilegii perpetua commissione munitum pro diversitate religionis constituit.

## XXII.

Privilegium Ordinis Equestris circa Judæos coincidit cum dispositione universalis Recessuum Imperii, præprimis autem cum Reformatione politica de 1548. & 77. vi cuius omnes contractus, mutui, Oppignorationis, fideiussionis &c. absque consensu Magistratus initi annullantur, & commercia saltem erga pecuniam paratam permittuntur. Cæterum Nobilibus immediatis Jus recipiendi Judæos æque ac Statibus competit.

B 3

XXIII.

## XXIII.

Comites Imperii Jurisdictionem nunquam in Nobiles immediatos, qua Judices Ordinarii exercebant, sed olim in eodem corpore cum reliquis Nobilibus immediatis stabant, uti hodiernum Ordo Equestris ex Comitibus & Baronibus æque ac ex aliis Nobilibus constat.

## XXIV.

Immedietati non officit Vasallagium, nec oblatio feudalis bonorum Equestrium allodialium Augustissimo Cæsari. De cætero Nobilis feudum à Superiore recognoscens, in illoque habitans non fit propterea ejusdem Subditus.

## XXV.

Nobilis ab Augustissimo nobilitatus non est illico membrum Ordinis Equestris immediati, nisi ab hoc specialiter sub



sub certis requisitis, præprimis prædii equestris collectabilis, Justo titulo acquisiti, & aliorum præstandorum in confortium equestre communi consensu receptus fuerit, uti eodem modo fit à Collegiis Statuum Circularium, ratione novorum Comitum & Baronum, qui ante impetratam hanc dignitatem non erant, alterius Status subditi & Landsassii, & bona vel IN vel AB vel SUB, Imperio possidebant. R. I. de 1548. §. 66.

## XXVI.

Immedietatem & præcellentiam, sicut Status Imperii, conservant, colendo pietatem, adhærendo soli Augustissimo, abstrahendo à protectione & fœderibus Potentiorum, fovendo concordiam & amicitiam inter se & cum Vicinis, non obstante diversitate religionis, secundogenitos Collegiis cathedrali.

dralibus ordinibus Teutonicorum, & Melitensium, ministeriis & Aulis Potentiorum. Filias autem vel honestioribus desponsationibus elocando, vel monasteriis & Collegiis Canonissarum inducendo agnationi & familiæ prospiciendo per fideicommissa, Primogenituras, Majoratus, Senioratus, Confraternitates, exclusionem filiarum & Sororum nubentium, item religiosorum & religiosarum erga dotem congruam ab hæreditate, paterna, fraterna, & materna, recipiendo novas familias præcellentes & divites in locum extinctarum, prodigalitate duella & processu vitando, & quæ id genus alia.



Trübungen, Diss., 17 74/76

ULB Halle 3  
004 171 462



Sl.





2, 14.  
ad. 8. 1876.

I. N. D. N. J. C.

THESES INAUGURALES  
DE  
EXU ORDINIS  
QUESTRIS IMMEDIATI  
SUEVIA FRANCONIA  
ET TERRA RHENENSI,

270  
1715A

9

Erga  
Cæsarem & Imperium.

Quas  
Auctoritate & permisso

Magnifici Juris-Consultorum Ordinis  
ILLUSTRISSIMA EBERHARDINA,

PRÆSIDE  
MICHAELE GRASSO, J.U.D.  
niff. Würtembergiæ Ducis Consiliario, Pan-  
dectarum Professore Ordinario, Facultatis hujus  
Decano,

Pro  
oribus & Privilegiis Doctoralibus in utroque  
Jure consequendis

Die Februarii MDCCXV. horis consuetis  
Publico Eruditorum examini submittit  
REGANGUS PHILIPPUS NAGEL, Efslingensis.

TVBINGAE,  
Literis HIOBI FRANCKII.

21

